
COPIA DEL PRIVILEGIO EN QVE LA MAGESTAD DEL REY N. S NOMBRA A DON FRANCISCO LVIS DE GVRREA Y CASTRO SVBSTITVTO EN EL OFICIO DE REGENTE LA GENERAL GOVERNACION DE ESTE REYNO DE ARAGON.



NOS PHILIPPVS DEI GRATIA REX Castellæ, Aragonum, Legionis, vtriusque Siciliæ, Hierusalem, Portugaliæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Nauarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galletiæ, Maioricarũ, Hispalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corsicæ, Murtiæ, Giennis, Algarbij, Algeciræ, Gibraltaris, Insularum Canariæ, necnon Indiarum Orientalium, & Occidentalium, Insularum, ac Terræfirmæ maris Occeani, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brauantiæ, Mediolani, Athenarum, & Neopatriæ, Comes Abspurgij, Flandriæ, Tirolis, Barcinonæ, Rosilionis, & Ceritaniæ, Marchio Oristani, & Comes Goceani. CVM ob mortẽ Illustris D. Antonij Ximenez de Vrrea Comitis de Aranda, declaratione facta per nostrã Regiam Audientiam nostri Aragonum Regni, fuerit repositus in dicto Comitatu D. Petrus Paulus Fernandez de Heredia, & Vrrea, Regens Officiũ Generalis Gubernationis illius Regni, fuit ab eo die in controuersiam deductum, an dictum Officium vacauerit. Pro parte enim Deputatorũ eiusdem Regni, prætenditur omnino vacasse; cum iuxta Foros dictum Officium

ſit incompatibile, cum gradu Nobilitatis dicti Regni: ſiquidem ſimplex Miles dumtaxat eſſe debet qui illud exerceat. Et ea de cauſa, fuit nobis humiliter ſupplicatum, vt ad dictũ Officium aliam perſonam prouideremus. Pro parte autẽ dicti D. Petri Comitis de Aranda contenditur, non obſtante declaratione prædicta, Officium retinere poſſe, neque retẽtioni Foros obſtare. Et dato quod illud non poſsit exercere, transferendum fore ad D. Dioniſium eius filium: cui futuræ ſucceſsionis gratiam fecimus. Proindeque ſibi non auferendum, nec aliam perſonam nominandam ſupplicauit; imò quæſtiónem, aut contentionẽ prædictã, ad Tribunalia Regni Aragonum ad quæ ſpectat, mittere dignaremur; vt debitè partibus iuſtitia adminiſtretur. Nos autem, qui Fororum obſeruantiæ feruidi celatores ſumus, & iuſtitiæ adminiſtrationi indefeſsis curis incumbimus, nec cuiquã vt iuri ſuo aliquid detrahatur permittimus; & in noſtro ſeruitio benemeritos, (vt dictus D. Petrus Paulus Comes de Aranda benemeritus eſt) aliquod diſpendiũ pati ſinimus, ſed nouis fauoribus proſequi, ſemper in noſtro Regio animo eſt. Medium, ſiue viam excogitauimus, quo omnibus his conſulatur, & ius ſuũ abſque aliquo detrimento, integrum, & illæſum partibus conſeruetur. Et ita decreuimus, matura conſideratione, prætenſionem iam dictam, præfati D. Petri Pauli Comitis de Aranda, ſuper retentione memorati Officij, iudicialiter, in Tribunalibus Regni Aragonum, vbi incæpta eſt, audiri, & decidi: & quod ab eodem non poſsit ſpoliari, eo nõ audito. Ad quod concedimus ei licentiam, permiſſum, & facultatẽ, vt medijs, & recurſibus ſibi beneviſis, & ſuæ iuſtitiæ, & iuri concernẽtibus, vti valeat. Et interim dum lis pendet, & donec ſuper ea, ſententia, vel iudicium feratur, decreuimus etiam, in ſubſtitutum dicti muneris Regẽtis Officium Generalis Gubernationis, Magnificum, dilectumque Conſiliarium noſtrum Franciſcum Ludouicum de Caſtro, & Gurrea, Baiulum Generalem præfati noſtri Aragonum Regni, creare, nominare, & deputare, cum eadem poteſtate, auctoritate, iuriſdictione, præheminentijs, & prærrogatiuis, quæ ad proprietarium pertinent, ac cũ conditionibus infra declarandis. Videlicet, dictum Don Petrum Paulum Comitem de Aranda, faculta-

tem

tem habere,& ei licere,& permitti;vt in Tribunalibus Aragonum Regni,cum Deputatis illius,& cum dicto substituto Francisco Ludouico de Castro,& Gurrea,aut cũ alijs, vt sib. benevisum fuerit,retentionẽ prætẽsam istius muneris,litigare possit. Si autem dictus Comes,sententiã fauorabilem obtinuerit,declarando in Tribunalibus illius Regni,non esse incompatibilem in persona sua retentionem istius muneris,ac eius exercitium,cum gradu,& qualitate Nobilitatis, ad quã ascendit cum repositione Comitatus,quo gaudet;In hoc casu,dictus Franciscus de Castro,& Gurrea,cesset ab exercitio vsus dicti Officij. Declarantes etiam,quod si reuocata fuerit sententia,in lite,super Comitatu de Aranda,gaudeat præfatus Don Dionisius eius filius,dicto Officio,cuius futuræ successionis gratiam fecimus. Nam quãuis pater,in ea lite succumbat,remanebit tamen cum qualitate Nobilitatis;de quã non gaudebit filius in casu prædicto. Et supposito,quod durante lite præfata,& vsque ad eius determinationem,non est spoliandus dictus Comes,vtilitate dicti Officij ; assignamus dicto substituto Frãcisco de Castro,& Gurrea,viginti mille regalia,in nostra Baiulia Generali Aragonum. Ideo tenore præsentis,de nostra certa scientia,Regiaque auctoritate,deliberate, & consulto , præfatum Franciscum Ludouicum de Castro,& Gurrea,vti benemeritum, & valde condignum, & propter sua,& suorum merita,& obsequia,in substitutum dicti Officij,siuè muneris, Regentis Officium Generalis Gubernationis,prædicti nostri Aragonũ Regni,interim durãte præfata lite,& ad nostrã merã,& liberam voluntatem , & cũ limitationibus , & conditionibus supradictis , nominamus, creamus,erigimus,& deputamus:Officiumque ipsum,& eius exercitium,concedimus,committimus, & fiducialiter commendamus.Ita quod ipse,vt substitutus prædictus , & ad nostram meram,& liberam voluntatem,regat, & exerceat , illudque administret,fideliter,legaliter,atque bene;ad honorem,& fidelitatem, seruitiumque nostrum, iustitiæ ministerium,Curiæ nostræ commodum,Reipublicę dicti Regni pacificum, & tranquilum statum.Ius, & iustitiam vniuersis , & singulis dicto Officio submissis tribuendo,æqualance ministrando.Iura & Regalias nostras Regias augendo, & pro viri-

ri-

ribus conſeruando. Necnon exerceat, & exercere faciat, iuriſdictionem ciuilem, & criminalem aſſuetam, & ſolitam, vt dicto incumbit Officio. Valeat quoque contra malefactores, & delinquentes quoſcumque procedere; eoſque (vt moris eſt) punire. Et alia omnia, & ſingula facere, & libere exercere, quæ ad dictum Officium, de iure, foro, & conſuetudine quovis modo dignoſcantur; & omnes qui in proprietate habuerunt dictum Officium, facere, & exercere conſueuerunt, potuerunt, & debuerũt vſquequaque. Habeatque, percipiat, & conſequatur, ſuiſque vſibus, & vtilitatibus applicet, dicta viginti mille regalia, quæ pro ſalario annuo, ſibi aſsignamus vt eſt dictum. Verum antequam regimini, & exercitio eiuſdem ſe immiſceat Officij, iuramentum & homagium teneatur præſtare, in poſſe illius ad quem ſpectet, de bene, & legaliter ſe habendo, in exercitio Officij ſubſtituti memorati, ac de ſeruãdo Foros, & Actus Curiæ dicti Regni, & alia faciendo, ad quæ teneatur; & aſtrictus exiſtat. Sereniſsimo propterea Philippo, Principi Auſtriarum, & Gerundæ, Ducique Calabriæ, & Montisalbi, Filio Primogenito noſtro chariſsimo, ac poſt fœlices, & longeuos dies noſtros, in omnibus Regnis, & Dominijs noſtris (Deo propitio) immediato hæredi, & legitimo ſucceſſori intentum apperientes noſtrum, ſub paternæ benedictionis obtentu dicimus, eumque rogamus, Illuſtri vero Duci de Monteleon, Magnificis, dilectiſque Conſiliarijs, & fidelibus noſtris, Locumtenenti, & Capitaneo Generali, Regenti Cancelleriam, & Doctoribus noſtræ Regiæ Audientiæ, Iuſtitiæ Aragonum, & eius Locumtenentibus, Regenti Officium Generalis Gubernationis, & eius Ordinario Aſſeſſori, Baiulo Generali, Magiſtro Rationali, Çalmetinis, Merinis, Supraiunctarijs, Iuſtitijs, Iuratis, Alguacirijs, Virgarijs, & Portarijs, Vniuerſitatibus quoque, quarumcumque Ciuitatum, Villarum, & Locorum dicti Regni, cæteriſque alijs Officialibus, & ſubditis noſtris maioribus, & minoribus in dicto noſtro Aragonum Regno conſtitutis, & conſtituendis, dictorumque Officialium, Locatenentibus, ſeu Officia ipſa regentibus, & ſubrrogatis præſentibus, & futuris dicimus, præcipimus, & iubemus, ad incurſum noſtræ Regiæ indignationis, & iræ, pœ-

næque

næque florenorum auri Aragonum mille, nostris Regijs inferendorum ærarijs, quatenus dictum Franciscum Ludouicum de Castro, & Gurrea, & alium neminem, dicta lite, & nostra mera, & libera voluntate durantibus, pro substituto dicti Officij Regentis Generalis Gubernationis, in dicto Aragonum Regno (modo præfato) habeant, teneant, reputent, honorificent, atque tractent. Et alij ad quos spectet, in possessionem illius ponant, & inducant, positumque, & inductum manuteneant, & defendant contra cunctos. Iusionibusque & mandatis suis pareant, & obediant. Cauti secus agere, fierive, permittere ratione aliqua, siue causa, si dictus Serenissimus Princeps nobis morem gerere, cæteri vero Officiales, & subditi nostri prædicti, gratiam nostram charam habent, ac præter iræ, & indignationis nostræ incursum pœnam præappositam cupiunt euitare. In cuius rei testimonium præsentem fieri iusimus, nostro Regio communi sigillo, in pendenti munitam. Dat. in Oppido nostro Matriti, die vigesima nona mensis Ianuarij, Anno à Natiuitate Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo octauo. Regnorumque nostrorum trigesimo octauo.

YO EL REY.

V. Don Christ. Crespi Vicec.

V. Comes de Robrès R.
V. D. Pet. Villacampa R.
V. D. Pasch. ab Aragonia R.
V. D. Me. Moscoso.
V. D. Ius. Sorribas.

Dñs Rex mandauit mihi D. Micaheli de Lanuza Prot. Visa pro D. Christ. Vicec. Comitem de Robres. Villacampa. Marta. Don Paschasium. Me. Moscoso. Pueyo, & Sorribas; ac per me pro Cons. Aragonum.

V. Marta R.
V. D. Mich. de Lanuzá, & pro Cons. Aragoni.
V. D. Ioseph. de Pueyo R.

In officia. Arag. fol. ccxxx.

Nombra V. M. a Francisco Luis de Castro y Gurrea Bayle General de Aragon por Substituto en el Oficio de Regente el Oficio la General Gouernacion de aquel Reyno, en la forma, y con las condiciones aqui expressadas.

Soluat pro iure sigilli quatuor mille solidos.

Consultado.